

govinae in Provinciam erigitur, quae usque hodie sub omni respectu florens persistit.<sup>293</sup>

Fundamentum in rebus curam pastoralem concernentibus est illud in decretis Concilii Tridentini et Constitutione »Firmandis« Benedicti XIV, pro casibus vero ibi non praevisis recurrentum erit ad aliam ejusdem Pontificis Constitutionem, scilicet »Apostolicum ministerium«, quae prioris est potissimum explicativa.<sup>294</sup> Positis his pro fundamento, quaedam speciatim exprimuntur; jus nominandi ac praesentandi parochos Custodi competit; neenon utriusque auctoritati cumulative jus competens transferendi vel amovendi eosdem secundum Constitutionem »Firmandis«. Hic tamen additum est unum elementum quod originem dicit ex illis controversiis in Bosna jam habitis, commendatur scilicet ne translatio fiat ante sexennium commemorationis in eadem parochia.<sup>295</sup> Hoc nonnisi est mitigata decisio ex decreto a. 1837 pro Bosna lato desumpta. Ulterius, in casibus discordiarum et visitationis omnia ad tramitem dictarum constitutionum fiant. Fas est episcopo parochias et ecclesias regularium visitare: »nei termini medesimi della encomiata Costituzione »Firmandis«.<sup>296</sup> Parochiae remanent subjectae conventui, eique omnes eleemosynas remittere tenentur, demptis necessariis pro parochi sustentatione.<sup>297</sup> Sic igitur in Hercegovina eadem conditio juridica parochiarum persistere continuavit sicut prius dum Bosna erat.

Tempore separationis in tota Hercegovina franciscana existebant tantummodo 9 paroeciae et una cappellania localis,<sup>298</sup> quae prius adnexae erant conventibus de Kreševu et Fojnica, quorum vices et jura nunc post separationem in se conventus de Široki Brijeg et alias de Humac suscep-

<sup>293</sup> Schematismus provinciae Hercegovinae 1933, 27—28.

<sup>294</sup> I b i d e m , 23.

<sup>295</sup> I b i d e m , 24.

<sup>296</sup> I b i d e m , 25.

<sup>297</sup> »quindi lasciando nel loro vigore le concessioni pontificie per la specialità del luogo, li esortiamo (i. e. parochos) a provedersi del solo bisognevole alla vita, e tutto il superfluo sia mandato al convento, a cui è soggetta la parrocchia«. I b i d e m , 25.

<sup>298</sup> Glavaš, Spomenica, 98.